



Disputatio juridica inauguralis ad Legem Corneliam de falsis

<https://hdl.handle.net/1874/343278>

34.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

A D V

Legem Corneliam de Falsis.

Q U A M

SUB PRÆSIDIO D.O.M.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D.JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae, & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaeque

Facultatis JURIDICÆ Decreta,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Publicē defendet

J O A N van R O Y E N , Rheno-Traject.

Ad diem 21. Octob. hora locoque solito.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ

Typographi, clc Ioc xc.

Perillustri & Generoso

V I R O

D.D. HIERONYMO

V A N
B E V E R N I N G H,

Teylingæ Toparchæ, Consulari Gaudano, Præfecto quondam Communis Ærarii Foederatorum Belgarum, Eorumque Ordinum Consilio Adscripto, Universitatis Batavicæ, quæ Lugduni est, Curatori, Decem Legationibus apud Maximos & Potentissimos Orbis Christiani Reges & Principes Magna cum Laude & Fructu Reipubl. Functo. Venerando Cognato suo, Omniq[ue] Reverentiæ & Obsequii Genere Colendo, Honorando.

Hoc Exercitum Inaugurale

Ut & se ipsum

Consecrat

J O A N van R O Y E N.

Auctor.

DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

A D

Legem Corneliam de Falsis.

THESIS I.



Um mihi agendum sit de crimine *Falsi*, quod §. 7. *Inst. de publ. Judic.* & l. 1. ff. eod. numeratur inter *Publica Judicia*, ea quotuplicia fuerint, & quare *Publica* sint appellata, non abs re videtur exponendum. Romani duplia habuere *Judicia* in modo exercendi, vel *Ordinaria*, *qua solito juris ordine tractabantur*, vel *Extraordinaria*, *in quibus Magistratus ipse sive Prator cognoscebat & judicabat quasdam causas nullo dato Judice*. Hæc vero *Cognitiones* proprie nuncupantur. *Prator enim ipse non-nunquam quasdam cognoscebat causas*, uti patet ex l. 1. *D. de extraord. cognit.* & l. 13. §. 1. ff. *de minor.* *Ordinaria* circa res ventilatas erant duplia, alia *Privata*, *qua fuerunt decretæ, seu sententiae, de controversiis privatis qua ante Magistratus ipsi, qui jus dicebant, aut Judices a Magistratibus jus dicentibus dati tulerunt, pro ut jure erat sanctum.* Alia *Publica*, *qua fuerunt decreta, qua de criminibus, quæstore aliquo judicium exercente, judices ab eo dati fecerunt, pro ut leges de singulis criminibus cognoscendis lata iusserunt*: hæc autem *Judicia* tantum sunt publica, quæ ex legibus publicorum *judiciorum* veniunt, l. 1. ff. *de publ. judic.* l. 3. §. ult. ff. *de prevaric.* Dicta *Publica* quasi *Populica*, quia criminis publici *Executione* cuivis ex populo plerumque datur §. 1. *Inst. de publ. jud.* l. 43. §. 10. π. *de rit. nupt.* Per *Executionem* intelligunt *Accusationem* omnes fere *Doctores*, *Ant. Matib.* *de crim.*, *de publ. judic.* cap. 1. n. 1., dissentit *Goveanus* 1. var. lett. 27., qui timens ne hæc *notatio* popularibus quoque *actionibus* conveniat, intelligit *Cognitionem*, *Publica dicta existimans, quod olim populi cognitio esset, qui Lege lata, quæstiones & quæstionum judices constituebat l. 2. §. 23. ff. de O. Jur.* Male nostro *judicio*, nam non videtur in hac nominis finitione ad stantem

DISSERTATIO JURIDICA

potius Rempubl. quam seculi sui usum respexit Imperator. Cæterum frustra timuit *Goveanus*, ne populares actiones cum judiciis publicis per superiorem interpretationem confundantur: cum aliud sit *actio*, aliud *acusatio*. Publica autem judicia non per actiones sed per accusations ordinantur *pr. Inst. de publ. judic.* Et in his alius reorum habitus, alii *judices*, alia cognitionis forma: graviores denique sententiae quam in forensibus actionibus. Additur recte plerumque, quia sunt quædam crimina publica quorum accusatio non cuivis ex populo patet, ut *adulterium*, & *erimen suppositi partus l. 30. Cod. ad Leg. Jul. de adulter. l. 30. §. 1. ff. de Leg. Corn. de Fals. Wissenb. disput. ad tit. de publ. jud. num. 1.* At objici potest, quomodo hæc judicia queunt esse publica, si jus accusandi populicum non sit? Respond. Sunt publica, quantum ad Legem, poenam, & reliquum judicii ordinem atque exitum: non publica, quantum ad accusandi facultatem. *Ant. Matib. num. 3. eod.* Denique ideo publica quoque appellata sunt, quod *adversus Remp. sunt commissa*, vel *qua Pop. Rom. perinde habuit, atque si contra Remp. essent commissa C. Sigon. de judic. lib. 2. cap. 2.* tendunt enim judicia publica ad totius Reipubl. salutem, & omnium hominum emendationem *l. 20. D. de pœn.* ut exemplo edito cæteri deterreantur *l. 6. §. 1. in fin. ff. de custod. & exhib. reor. l. 8. §. 3. Cod. de heret. & Manich. l. 1. Cod. ad L. Jul. repetund. A. Gell. lib. 6. cap. 14. P. Voet comm. ad tit. Inst. de publ. jud.* Dividuntur judicia publica in Capitalia & Non capitalia *§. 2. Inst. de publ. jud. l. 2. D. eod.* Capitalia non semper dicuntur, quæ ultimo supplicio afficiunt homines, sed & illa quæ iisquam & ignem interdicunt, vel eos deportant, vel in metallum damnant *l. 28. ff. de pœn. d. §. 2. Inst. de publ. jud.* interdum tamen id nostri solum Capitale appellant, cuius non alia poena quam mors est *l. 4. ff. de pœn. l. 18. Cod. de transact.* Ultimum autem supplicium esse mortem solam interpretamur *l. 21. ff. de pœn. Vinn. comm. ad §. 2. Inst. de publ. jud.* Non capitalia, ex quibus pecuniaria mulcta, aut in corpus quædam coercitio poena est *d. l. 2. n. de publ. jud. l. 6. §. fin. ff. de pœn. Damhond. præz. rer. crim. cap. 1. num. 10.*

I I.

His cognitis pergamus ad Prætores, qui publicum judicium exercuerunt: hi nomen Quæstorum sortiti sunt a *quaſtione*, quo vocabulo judicia hæc nuncupabantur. Antiquis temporibus de his criminibus cognoscendi penes Reges erat potestas, uti referunt *Dionysius lib. 2. qui Romulum Regem delicta maxima cognovisse, minora senatoribus permisſe*, affirmat. & *Livius lib. 1. cap. 49.* qui cum Superbum Regem scribat, ut metum pulo

pulo incuteret, *Cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solum exercuisse, propterque eam causam occidere, in exilium agere, bonis multitare potuisse*, satis clare, quid cæteri superiores Reges servarint, ostendit. Ejectis Regibus Consulum officium esse cœpit, quia in Regum locum succederunt. *Brutus enim Consul de conjuratis causa cognita supplicium sumpfit*, teste *Liv. lib. 2. cap. 5.* Verum id jus Lege Valeria, a *P. Val. Poplicola A. U. C. 245* lata, est imminutum, cautumque in posterum ne Consul de Capite Civis Rom. injussu populi quæreret; at ii tantum, quibus a populo quæstiones publicas exercendi data esset potestas, qui ex eo *Quæsitores parricidii* sunt vocati *l. 2. §. 23. D. de O. Fur.*, unde Festus, *Quæsitores parricidii* vocatos, ait, *quos solebant creare causa rerum capitalium.* Horum autem apud eundem *Liv.* sæpius memoria celebratur, ut *Cesso & Medulino Coss.* anno 340, item anno 349. & anno 566. Atque hoc modo usque ad annum 604. quæstiones publicæ exercitæ sunt, ut quotiescumque res desideraret, aut Consules, aut Dictator, aut Prætor SConsulato, aut Lege quærere juberetur. Anno autem ipso U. C. 604. perpetuæ quæstiones esse, ac proprium Quæsitorem habere cœperunt, illud testatur Cicero in Bruto his verbis: *Carbone forum tenente plura judicia fieri cœperunt, nam & quæstiones perpetuae hoc adolescenti constituta sunt, qua nulla ante fuerant.* At quæstio perpetua facta intelligitur, cum in singulos annos Prætori mandatur hisce quidem verbis: *De ea re Prætoris quæstio esto, vel Prætor, qui ex hac Lege quæreret facito ut, &c.* vid. *Doctiss. Car. Sigon. lib. 2. cap. 4. de judiciis & Ros. antiqu. Rom. lib. 9. cap. 18.* Quamvis autem post annum 604. Prætores primum quatuor, dein sex perpetui singulatum quæstionum sunt constituti, ut eas quotannis sortirentur: non tamen omnia publica judicia ab ordinariis illis quæsitioribus facta sunt, verum extra ordinem multæ quæstiones aut SConsulato, aut Plebescito, ut ante, vel Consulibus, aut aliis Magistratibus aut etiam privatis hominibus mandatae sunt: sive quia nulladum de illis constitwendis lex erat lata. *Sive quod lata erat quidem, sed pro rei atrocitate extra ordinem querendum esse videbatur.* Exempla extant apud *Sigon. lib. 2. cap. 4. de judiciis.* Hi quæsitores in foro atque tribunal, & in sella curuli sedentes, judice quæstionis aliquo operam fidemque navante, gladio posito judicium exercebant, cum selectis judicibus, sedentibus in suis subselliis, scribis vero, accensis, præconibus, lictoribus, aliisque apparitoribus assistentibus, unde Cicero in orat. pro Cluentio, *Quid sibi illi scribo, quid lictores, quid cæteri, quos apparere huic quæstiōni video, volunt?* & in Bruto, *Volo hoc Oratori contingat, ut cum auditum sit, cum esse dicturum,*

6 DISSERTATIO JURIDICA

locus in subcelliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando & cedendo loco. Gladius autem, de quo mentio est facta, insigne fuit magistratus, publicum judicium excentis, uti hasta Prætoris Urbani, privatum judicium excentis. *Quæstio vero eversa Republ. merum imperium est appellata.* Sunt enim tria Magistratum imperia celebrata, *merum, non merum, & mixtum,* Hoc vero pertinet ad Jurisdictionis materiam, quam examinare non est in animo, propterea hæc de *judiciis publicis* dixisse sufficiat, nunc ad rem ipsam.

I I I.

Quicquid non est verum, potest dici falsum, quamvis non procedat ex dolo alicujus vel fraude *l. 13. §. 3. D. de reb. dubiis*, quo nomine quodvis venit mendacium, quod tamen in crimen falsi non incidit. Proprie autem Falsum dicitur, quod *Lege Cornelia de Falsis* coërcetur, illud vulgo appellant *fraudulentam veritatis imitationem*: rectius tamen definitur hoc loco *Falsum dolosa veritatis immutatio, in alterius præjudicium facta*, *Ant. Matth. de crim. ad l. Corn. de Fals. cap. 1. num. 1. Mynsing. in §. 7. Inst. de publ. judic. ubi & Job. Schneidwin. num. 2. Ant. Perez. prel. in Cod. ad b. t. num. 2.*

I V.

Ex eo sequitur tria conjunctim requiri ad hoc ut *falsi crimen* committatur, tale nimirum quod *Lege Cornelia de Falsis* coërcetur. Primum est *Dolus malus*, qui nisi accedit, etiamsi quis errore verum non dicat, in peccatum Falsi non cadit *l. 20. Cod. b. t.* Alterum est *veritatis immutatio*: nec enim Falsum statim committitur, si dolus fuerit adhibitus, nisi etiam veritas mutetur & pervertatur *l. 23. ff. ad Leg. Corn. de Fals.* Tertium Falsi requisitum est, ut fiat animo damnum alicui afferendi: et si id nondum illatum sit. *l. 8. C. ad l. Corn. de Fals.* Falsitas enim non nocibilis, *ex lege Corn. de Falsis* punienda non est, ut pluribus probant *Narta lib. 3. cons. 588. Paul. de Castro lib. 1. cons. 130.* Eaque communis Doctorum est opinio, *Prosp. Farin. part. 6. oper. crim. quest. 150. n. 291. Egid. Boss. in tit. de fals. n. 90. in fin. Jodoc. Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 124. num. 10. Jul. Clarus lib. 5. sentent. §. Falsum num. 36. Job. Voet. in comp. jur. ad b. t. num. 2. Perez. in prel. in Cod. ad b. t. num. 2. J. Brunneum. comm. in D. ad l. 2. b. t. num. 2.* His alii addunt *Notationem Legis expressam*, ut scilicet nemo ob factum aliquod incidat in crimen Falsi, nisi quem *Lex Cornelia & SCtum Libonianum* aliaque *Constitutiones ac Responsa* *Jutorum*, que cum legem interpretantur, disertè notant, *Wezembe. in parat. ff. ad*

ff. ad leg. Corn. de Fals. num. 2. Schneidwin. in §. 7. Inst. de publ. jud. num. 2. Bartol. in l. 23. D. b. t. Sed nuspam expressa Legis Cornelie notatio requiritur, variisque modis crimen Falsi committi posse puto, quamvis Legis determinatio desit: sufficit autem generalis notatio Legis Cornelie, quæ omnem dolosam veritatis immutationem in præjudicium alterius factam puniri jubet. arg. l. 1. & 23. ff. ad leg. Corn. de fals. hinc nempe post Legem Corneliam tot Constitutiones & SCta de Falso sunt prodita, totque varii casus in multis legibus expressi & decisi tot. ist. D. & Cod. ad leg. Corn. de Fals. ut de reliquis non expressis ex ratione ejusdem causæ facilius judicium ferri, eique ad crimen Falsi applicari possint. Ut ita verissimum sit, casus omnes Lege Cornelie de Falsis verbis expressis notatos non esse, qui tamen ex eadem Lege puniendi ac coercendi proponuntur. Certe, inquit egregie Celeberrimus Franequeræ Professor Perizonius, in dissertatione de Lege Voconia, multis sepe legibus vel derogabatur postea, vel subrogabatur, vel obrogabatur, neque tamen illa in suis reliquiis continuo pristinum perdebant nomen. Ubi porro ostendit Voconiam dici Legem apud Plinium, quæ non erat sic Voconia, ut à Voconio erat profecta, sed tamen Voconia, quia ex Voconia præcipue oriunda. Sic & Papiam Poppæam nomen suum retinuisse, licet variis modis esset emendata, observat ex Sueton. in Claud. cap. 23. & Justiniano in l. 27. Cod. de Nupt. & aliunde. Idem fere de nostra Lege Cornelie dicendum, nomen remansisse, etiam postquam alias falsi species ei erant additæ.

V.

Cum jam saepius mentio facta sit de Lege Cornelie, & de SCto Libonio, non abs re erit auctores inquirere. Legem Corneliam tulit L. Corn. Sylla Dictator l. 2. §. 23. D. de O. f. ipso & Qu. Cæcilio Metello Coss. A. U. C. 673. Ros. antiqu. Rom. lib. 8. cap. 26. Joh. Schneidwin. in §. 7. Inst. de publ. jud. n. 5. Wesemb. in parat. ff. ad b. t. n. 2. in fin., P. Voet comm. in §. 7. Inst. de publ. jud. Franc. Dnaren. ad b. t. Jac. Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. cas. 306. num. 5. At Senatus Consultum Libonianum latum est A. U. C. 880. M. Annio Libone Consule sub Adriano; SCtum Claudianum vero, quod pro Liboniano saepè sumitur, ut testatur Glossa in D., provenit A. U. C. 768. Lucio Scribonio Consule sub Claudio Tiberio, teste Gotbofr., quem vide in principio ff. t. b. & Wesemb. in parat. cod. n. 5. in fin. Ant. Matth. in tract. de crim. ad b. t. cap. 1. n. 4. censet SCtum Libonianum Tiberio auctore factum, & Claudianum ex edicto Claudi proscutum.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

V I.

Regulariter in crimine Falsi poena est deportatio, & omnium bonorum publicatio, & hoc in homine libero, in servo vero est mortis poena l. 1. h. nlt. ff. b. t. §. 7. Inst. de publ. judic. at publicationis bonorum poena correcta est per Novell. 134. cap. 13. ex qua desumpta Anh. Bona damnatorum Cod. de bon. proscriptor. Schneidwin. in §. 7. Inst. de publ. jud. num. 10. ubi & Mynsing. num. 13. Wesemb. parat. ad b. t. num. 12. Ant. Perez. praleit. in Cod. ad b. t. n. 18. Wiffenb. disput. in b. t. n. 9. & 10. potest etiam poena Falsi pro qualitate admitti extendi ad manus amputationem d. Nov. 134. cap. 13. Nov. 17. cap. 8. in pr. nec non ad extremum supplicium l. 22. Cod. b. t. l. 1. & 2. Cod. de Fals. monet. vel ad relegationem, etiam temporalem l. 13. §. 1. l. 21. & l. 32. §. 1. ff. b. t. Ant. Matth. de crim. ad b. t. cap. 2. quandoque vel in totum aufertur ut impuberibus l. 22. D. b. t. Ex Lege Mosaica puniebantur testes Falsi ea poena qua puniendus eratis, contra quem dicebatur testimonium Deut. cap. 19. vers. 19. Omnino facietis ei quemadmodum molitus erat fratri tuo facere. Apud Romanos, ante tempora L. Corn. Syllæ Dictatoris, qui Falsum testimonium dixisset, e saxo Tarpejo dejiciebatur, ut memoriae prodiderunt A. Gell. lib. 20. noct. att. cap. 1. & Alex. ab Alex. lib. 6. Genial. dier. cap. 10. Moribus poena Falsi criminis visetur arbitraria, & sic quandoque major, quandoque minor, juxta diversitatem casuum Ant. Matth. de crim. ad b. t. cap. ult. n. 3. Menoch. arbit. judic. lib. 2. cas. 306. Mynsig. ad §. 7. Inst. de publ. judic. num. 14. & 15. B. Carpzov. prax. crim. p. 2. q. 93. num. 20. & seqq. f. Brunnem. ad l. 1. ff. b. t. Groenew. de Leg. abrog. ad §. 7. Inst. de publ. jud.

V I I.

Species Falsi sunt variæ, quas Job. Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 121. num. 3. quinque modis committi posse existimat, Consensu, Verbis, Abusu, Scriptis, & Silentio. Perez. vero in præl. in Cod. ad b. t. n. 2. quatuor modis, Consensu, Dissimulatione, Verbis, aut Scripto. Practicus Papiensis, in forma libelli ad rescindendam sententiam, in Gloss., in verbo procuravit, num. 4. Azo in summa Cod. ad Leg. Corn. de Fals. etiam quatuor modis: Scripto, Dicto, Facto, & Usu. vid. Menoch. de arbitr. jud. lib. 2. cas. 316. n. 1. Carpzov. in prax. crim. p. 2. q. 93. n. 26. quoque quatuor modis, in Persona, vel Verbis, vel Scripto, vel Abusu. Job. Voet in comp. jur. ad b. t. n. 2. etiam quatuor modis: Dicto, vel Reticentia, vel Scriptura, vel Facto. At Anton. Matth. in tract. de crim. ad b. t. cap. 1. num. 1. ad duo summa capita omnes fere species referri posse putat: nempe ad Falsam testam-

testamentarium & numarum, ex quibus, teste Cicerone in 3. Verr., Lex Cornelia in initio constitit. Testamentarium est, quod præcipue ad testamento pertinet, quamvis alia quoque capita complectatur, tam quæ ipsa lege expressa, quam quæ Senatus-Consultis & constitutionibus Principum Legi addita sunt. Unde orta illa distinctio in Falsum & quasi Falsum. Falsum, quod ipsa Lege Cornelia vindicatur. Quasi Falsum, quod ex Constitutionibus aut SConsultis ad Legem Corneliam testamentariam [sic enim sæpius nominatur l. 1. ff. de publ. judic. §. 7. Inst. eod. l. 6. §. 1. D. de extraord. crimin.] redigitur l. 1. §. ult. l. 16. §. 1. & 2. ff. b. t. Cujac. in Jul. Paul. recept. sentent. interpr. lib. 5. ad b. t. Duaren. in b. t. J. Brun. nem. comm. in l. 1. D. b. t. n. 2. J. Voet comp. jur. eod. n. 1. Nos cuncta promiscue referemus.

V I I I.

Committitur Falsum in Testamentis, ut si quis vivi testamentum aperuerit, vel resignaverit l. 1. §. 5. l. 2. ff. b. t., is, si humilior, plerumque in metallum damnatur, si honestior, in insulam deportatur l. 38. §. 7. D. de pœn., qui testamentum amovit, celavit, eripuit, delevit, interlevit, subjecit d. l. 2. D. b. t. l. 14. Cod. eod. §. 7. Inst. de publ. jud. Perez. prel. in Cod. ad b. t. num. 5. Ant. Matib. de crim. ad b. t. cap. 1. n. 2. qui testamentum alicujus surripuit l. 16. D. b. t. qui cum alterius testamentum vel Codicillos scriberet, sibi Legatum sua manu scripsit l. 15. ff. b. t. nec obstat l. ult. ff. de his que pro non script. qui tabulas testamenti, quibus servodata erat libertas, suppressit l. 7. n. b. t. qui codicillos ante testamentum factos, in quibus legatum ei adscriptum erat, confirmavit l. 22. §. 6. ff. b. t. qui scripsit vel signavit falsum testamentum l. 2. ff. eod. non obstat. §. 5. J. de rest. ordin. qui sibi legatum fideicommissumve adscripsit l. 1. §. 7. ff. b. t. Ant. Matib. d. l. n. 4. & Perez. prel. in Cod. ad tit. de his qui sibi adscrib. in testam. num. 1. Si hæres institutus exheredationem nominatim filii vel aliarum personarum adscripsit l. 6. §. 1. D. b. t. Similiter & is tenetur, qui libertatem manu sua ademit servi testatoris §. 2. eod. qui se filio testatoris in testamento tutorem constituit l. 18. §. 1. ff. b. t. Si maritus in testamento Uxoris sua manu sibi legata adscripsit l. 4. Cod. de his qui sibi adscrib. in testam. ibique Perez. pral. n. 2. Adversus hosce falsarios tempore Nero-nis Claudi primum repertum, scribit Sueton. in vit. Ner. cap. 17., ne tabula nisi pertusa, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur. Cautum ut in testamentis prima due cere, testatorum modo nomine inscripto, vacue signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet l. 3. Cod. de his q. sibi adscrib. in testam. nisi sua manu testator adscriberit.

10 DISSERTATIO JURIDICA

plerit l. 2. Cod. eod. Pœna a Constantino constituta est deportatio , vel si criminis sit magnitudo , supplicium capitale l. 22. Cod. h. t. Jure Saxonico successit in hujus pœnæ locum fustigatio Pet. Greg. Tholosani synt. jur. univ. lib. 36. cap. 5. num. 2. Cessat non-nunquam hæc pœna , nimirum si dolus non adsit l. 20. Cod. h. t. Si Servus imperante Domino sibi libertatem sua manu adscripsit l. 6. Cod. de his q. sibi adscrib. in testam. Pœnam etiam Senatus remisit ei qui legata a se testamento data , codicilis manu sua scriptis ademerat l. 5. n. b. t. Si Uxori legatum in alieno testamento sine dolo maritus scripsit l. 18. f. b. t. ad quam latius Deckher 2. disserr. 3. c. 20. juncta l. II. §. 1. ff. eod. Remittitur etiam mulieri propter juris ignorantiam l. 15. §. 4. 5. ff. b. t. Si plura, vid. Perez. pral. in Cod. ad tit. de his. q. sibi adscrib. in testam. num. 3. & seqq. Ant. Matth. de crimin. ad b. t. cap. I. num. 4. vers. sed cessat pœna. J. Brunnem. ad l. 14. ff. b. t. n. 4.

I X.

In instrumentis falsum perpetratur , si quis instrumenta alterius apud se deposita prodiderit l. I. §. 6. n. b. t. , nec repugnat lex. 8. ff. de extr. crim. prout conditio personæ est , aut in metallum damnatur , aut in insulam deportatur l. 38. §. 9. ff. de pœn. , si quis quid aliud , quam in testamento sciens dolo malo falsum signaverit , signarive curaverit l. 9. §. 3. ff. b. t. Si quis alienum chirographum imitetur , aut libellum , aut rationes intercidat , vel describat l. 23. D. eod. porro qui falsas nomine Prætoris reddit literas l. 25. ff. eod. vel qui per acta Præsidii obrepit l. 29. ibid. Ant. Matth. d. l. n. 5. Wesemb. parat. in ff. ad b. t. num. 7. Qui falso nititur instrumento , licet regulariter nemo præsumatur malus l. 51. ff. profoc. , præsumitur Falsi auctor , vel particeps criminis reus efficitur , nisi suam innocentiam probet , exhibendo eum a quo instrumentum accepit , & declarando se ab ejus usu abstinere velle l. 8. Cod. h. t. vid. Perez. pral. in Cod. ad b. t. num. 3. & Brunem. ad. d. l. 8. Hujus criminis variaæ hodie sunt pœnæ ; in Gallia solent falsarii isti catamidiari , & post fustigationem stigmate Lillii in fronte inuri , & exilio vel deportatione affici , addita confiscatione omnium bonorum. Pœna quoque hæc in Clericis observanda , præcedente ramen inustionem degradatione ex rescripto Urbani Papæ in cap. ad audienciam c. 3. de crim. fals. lib. 5. Decret. tit. 20. In Hispania statutum est , quod falsans epistolam , privilegium , vel Bullam Papæ , quive efficit ut alias faciat , debeat mori. P. G. Tholos. synt. j. n. lib. 36. c. 5. n. 7. & seqq. In Saxonia pœna est carceris , relegationis , vel fustigationis pro qualitate admissi. vid. Carpz. prax. crim. p. 2. q. 93. n. 63.

X.

Pœna etiam *Legis Cornelie* locum habet in *falsis testimoniis*, ut si quis ob instruendam advocationem, testimoniae pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatemve coicerit ad obligationem innocentium *l. 1. §. 1. l. 9. §. pen. D. b. t.* Si iudex Principum constitutiones neglexerit, *l. 1. §. 3. ff. b. t.* Si quis judicem corruperit *l. 21. ibid.* Si quis delatorem summisit in causa pecuniaria *l. 9. §. ult. ff. b. t.* Si quis falsum testimonium dixerit contra signum suum *l. 27. §. 1. D. b. t. contra signum suum*, nihil aliud est, quam contra tabulas seu scriptum testimonium, quod signo suo confirmaverat. hic late *Ant. Matth. de crim. cap. 1. num. 9. & seqq. Mat. Wesemb. par. ad b. t. nnn. 3. & seqq.* Lyciorum lege venditur is, qui falsum testimonium dixit, simulque ejus patrimonium publicatur. *Heracl. in polit. Apud Indos, Strabone teste*, falsus testis extremis decurtatur. Constitutione Francisci primi Galliarum Regis, furca & laqueo suspenditur, quacunque in re falsus inveniatur *Thol. s. j. n. l. 36. c 4. n. 8.* cui convenit Caroli V. Edictum *3. Cal. Febr. 1545.* Porro Clericus qui falsum testimonium dixit in causa capitali, a sacro ordine rejicitur, & legitimis pœnis plectitur *Nov. 123. cap. 20. Jure Canonico*, qui falsa diplomata summi Pontificis aut Regis concinnavit, aut sciens prudensque protulerit, si laicus sit, arcetur a communione Fidelium, Clericus deponitur & sacro ordine exutus, iudicis secularis potestati committitur puniendus, secundum legitimas sanctiones, eaque pœna, quam merentur laici falsum committentes in litteris Principis, *c. 3. & 7. ext. b. t. vid. Perez. prel. in Cod. ad b. t. n. 19.*

X I.

Hoc crimen etiam committitur in *Contractibus*, ut si quis rem eandem duobus in solidum diversis contractibus viderit *l. 21. n. b. t. Damhoud. prax. rer. crim. cap. 122.* non obstante *l. 15. Cod. de rei vindic. & l. 4. Cod. de alt. empt. & l. 3. §. 1. ff. Stellion.* Sic etiam in *mensura & pondere*, ut si quis mensuras publice probatas corruperit, falsaverit *l. 32. §. 1. ff. b. t.* Ejus pœna est ut quantia ea res erit, duplo condemetetur: & ex decreto Adriani in insulam relegatio *l. 6. §. 2. D. de extraord. crimin. Præterea ad Ædiles Cereales [a C. Cæsare A. U. C. 709. creatos teste Cantelio de Rep. Roman.] pertinere falsas & iniquas mensuras frangere docet Ulpianus in *l. 13. §. 8. D. locat. Ant. Matth. de crim. ad b. t. cap. 1. n. 15. Damhoud. prax. rer. crim. cap. 125. Menoch. arbitr. jud. cas. 317. Carpz. pr. crim. p. 2. q. 93. n. 78. Tholos. s. j. n. l. 36. c. 1. n. 8. & seqq. Mynsing. in §. 7. Inst. de publ. jud. n. 8. Secundum iura Canonica punitur inedia & jejunio, spatio triginta dierum in pane & aqua cap. ut mensura ext. de empt. & vend. Ex consuetudine**

12 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

peena est arbitraria, ratione delicti *Carpz. d.l.n.80. Damhoud. d.l.n.6.*
Wesemb. par. b. t. n.9. Brunnem. comm. ad l. pen. ff. b. t.

X I I.

Porro Lex *Cornelia* locum habet, quando quis nomen suum mutat
 dolo malo: alias enim unicuique hoc liberum est *l. 1. Cod. de mutat. no-*
men. Siquidem nomina sunt indita ad placitum, quibus unus ab altero
 dignosci facile possit *l. 10. Cod. de ingen. & manumiss.* Hinc etiam obser-
 vamus apud Græcos & Romanos hoc maxime in usu fuisse positum, ut &
 ingenui ipsi homines pro voluntate nomen mutarent. Ita apud Græcos
 Plato, teste *Diog. Laertio in ejus vita*, ex avi nomine Aristoteles est voca-
 tus: sic Theophrasto nomen Tyrtamo fuit: ita Homerus antequam fa-
 etus esset cecus, & duce non indigeret, Melesigenes appellabatur. Sic
 apud Romanos deserebantur Imperatoribus creatis antiquitus & nomina
 & cognomina nova. *Aulus Vitellius Imperator cognomen Germanici de-*
latum cupide recepit, Augusti distulit, Caesaris in perpetuum recensavit. Suet.
in Vitell. cap. 8. infin. M. Tullius Ciceronis nomen assumpsit: quod clare
 offendit in ejus vita *Plutarchus*; cum primas dignitates Reipubl. cœpisset
 attingere. Sic Julianus, ut voluptuosis militibus satisfaceret, cognomen
Commodi accepit, ut auctor *Herodianus lib. 2.* Ita D. Octavius Augustus
 heredes instituit Tiberium ex parte dimidia, & sextante, Liviam ex parte ter-
 tia, quos & nomen suum ferre jussit. *Sueton. in vita Aug. cap. 102.* Dolo ma-
 lo nomen mutari viderur duobus præcipue modis. Primo, Cum quis per-
 sona dissimulata se alium esse mentitur, quod ob maximam similitudinem,
 quæ inter duos nonnunquam reperitur, non semel usu venit. Exem-
 pla varia extant apud *Val. Maximum lib. 9. cap. 15.* & apud *Menoch. de ar-*
bitr. jud. lib. 2. cas. 318. n. 28. & seqq. Et in Plauto, in faciem versus *Am-*
phitruonis Juppiter: Secundo, si mutet nomen suum in alterius fraudem l.
13. D. b. t. veluti si cum alio contrahens vocet se alio nomine, vel cogno-
 mine, quam revera vocetur, ne postea contraxisse dicatur, & ex instru-
 mento obligatorio conventus excipere possit, se non esse eum, qui in
 instrumento dicitur promisso, Sic qui se nobilem aut militem profitetur
 dolo malo *l. 27. §. 2. ff. b. t.* Perez pral in *Cod. ad tit. de mutat. nomin. ibi-*
que Brunnem. comm. Wesemb. par. in ff. b. t. n. 8. Ant. Matth. de crim. eod.
cap. 1. num. 17. Damhoud. prax. r. crim. cap. 125. n. 10. Tholof. s. j. u. l. 36.
o. 4. Cujac. in Ful. Pauli recept. sent. interpr. lib. 5. b. t. circa fin. Carpzov. pr.
crim. p. 2. q. 93. n. 33. & seqq. Egid. Boff. in tit. de mutat. nomin.

X I I I.

Sequitur ut dicamus de illa Falsi specie, quæ naturæ sit per partus suppo-
 sitionem

sitionem l. 19. §. 1. & l. 30. §. 1. D. & l. 10. Cod. h. t. ex qua multa mala sequuntur, nam ordinum dignitas familiarumque confunditur, ut merito Antoninus Imp. in l. 1. Cod. h. t. poenam decernat capitalem in mulierem convictam partus suppositi. Corn. Tacitus 3. Annal. cap. 22. Lepidæ ex Æmiliorum familia delatae, quod divortio facto partum simulasset, ex P. Quirinio Marito divite atque orbo, aqua & igni refert interdictum. De hac arte supponendi partus & deceptione maritorum per suppositionem aliorum infantum meminit Aristophanes in Cerealia celebrantibus: Alteram novi, ait, quæ dicebat dolores partus habere per decem dies, donec emit infan-tem. Maritus autem obibat urbem, medicamenta celera in partum emens: in-tulit autem manus in olla infantem, ne clamaret, cerula obturatum. Perez. præl. in Cod. h. t. num. 21. & seqq. Brunnem. ad l. 1. Cod. h. t. Carpz. pr. crim. p. 2. q. 93. n. 27. Damhoud. prax. rer. crim. cap. 125. num. 22. Superest ut de falso numario agamus.

X I V.

Vetustissimis temporibus cum non esset monetæ usus, neque aliud merx, aliud pretium vocaretur, unusquisque secundum necessitatem rerum ac temporum utilibus inutilia permutabat, ut inquit Paulus in l. 1. ff. de contrah. empt. Sed quia nec semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu accipere velles, electa est materia, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, ut idem Jctus ait. Ex his patet numos urgentibus commerciis hominum ex ipsa natura esse introductos. Usus vero numorum antiquissimus fuit, nam reser sacra Historia Genes. cap. 23. Abrahamum mercatum fuisse sepulcrum, & appendisse pecuniam probæ monetæ. Hieron. Gigas in tract. de crim. les. majest. quest. 62. narrat primam monetam, quæ fuit fabricata in mundo, factam fuisse per Thares patrem Abrahæ, qui fuit optimus artifex, eam autem fabricasse ad petitionem Regis Nini. Elianus lib. 12. Variar. hist. cap. 10. exponit Æginenses primum inter universos Græcos numisma percussisse. Cum constet pecuniae signatæ materia plerumque velex ære, vel argento, vel auro, tamen priscis temporibus numos ex coriis bubulis factos fuisse scribit Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 4. cap. 15. & veteres usos etiam esse ligneis asperis & quadratis numis testatur Lazius comment. suo de Rep. Rom. lib. 3. cap. 3. De Britannis scribit Jul. Cæsar comm. de bello Gallico lib. 5. quod numo ferreo uterentur, & annulis ferreis ad certum pondus exami-natis: pro numo. Romani ante Regem Servium Tullium usi sunt ære tan-tum, eo que rudi, non signato, ac is Rex primus signavit æs peccatum

notæ

B 3

nota

14 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

nota, indeque pecunia appellata est auctore Plinio lib. 18. cap. 3. lib. 33. cap. 3. atque hinc est quod per æsnumorum omne genus, sive aurorum sive argenteorum significetur l. 159. D. de V. Sign. l. 5. §. 18. ff. de tribus. act. Signatum vero est argentum apud Romanos A. U. C. 484. Q. Ogulnio Gallo & C. Fabio Pictore Coss. quinque annis ante bellum Punicum. vid. Car. Sigon. comm. in fast. & triumph. Rom. De aureo numo a Plinio d. cap. 3. memorie proditum est, quod percussus sit sexagesimo secundo anno post argenteum, idque probat Covaruv. in tract. de numism. collat. cap. 3. n. 1. Plumbi & Stannei numi omnino fuerunt reprobati l. 9. §. 2. ff. b. t. Ita & ærosa pecunia, quæ plurimum æris admixtum habet, damnatur l. 102. D. de solutione. Ferunt Dionysium Siculum Tyrannum suos aliquando Syracusanos coëgisse Stanneis numis uti Gothofr. ad l. 1. Cod. de vet. numism. potest. n. 21. Statuit Tacitus Imperator, ut si quis argento publice privatimque æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione, ut scribit Flav. Vopiscus in Tacito. Sane cum maxime necessarius sit monetæ usus, nec Respubl. commode sine ea consistere possit, merito boni Legum latores putarunt rei numariae curam habendam, & depravationi ejus sedulo occurrentum esse, placuisse ut jus monetæ proprium esset Principis l. 2. Cod. de Fals. monet. Inter Regalia namque hoc jus cuditendi monetam censetur lib. 2. Feud. tit. 56. De Carolo Magno memorie proditum est, quod adeo jus monetæ pro Regali habuerit, tantique hoc fecerit, ut alibi quam in ipso Palatio cudi monetam noluerit. Romæ etiam in æde Junonis Monetalis moneta percutiebatur, cui præfecti erant Triumviri monetalis æris, auri argentique flatores l. 2. §. 30. ff. de O. Jur. Pompon. Lat. de Magistratib.

X V.

Circa monetam Romani varias condidere Leges, quibus delicta circa eam perpetrata coercentur: inter illas Lex Cornelia præcipuas partes quidem obtinet, quæ Numaria vocatur a Cicerone in 3. Verr. Tenetur vero, hac Lege qui monetam adulterinam flavit l. 9. D. b. t. qui numos plumbeos, stagnos emit, vendit dolo malo §. 2. d. l. qui monetam rasit, tinxit, finxit l. 8. ff. eod. qui numos probos lavat, confiat, aut vultu Principum signatos reprobat Paul. 5. sent. 25. l. 1. Cod. de vet. numism. potest. Qui probos quidem cudit, sed privatim, non in publica officina, Lege Cornelia tenetur: nec excusatur quamvis rescriptum impetraverit, ut sibi privatim licet numos cedere, in moneta enim, id est, officinis publicis tantum cudi debent l. 1. 2. 3. Cod. de Fals. mon. Ant. Matth. de crim. cap. 4. n. 1. ad b. t. Cum itaque hujus criminis rei maximum inferant Reipubl. detrimen-

mentum, & simul Principis lèdent Majestatem l. 2. Cod. de Fals. mon. gravissima pæna plectuntur. Homines liberi ad bestias dantur, servi ultimo supplicio afficiuntur l. 8. D. b. t. Domus & fundus ubi adulteratio numerum facta probatur, addicuntur fisco l. 1. Cod. de Fals. mon. Falsarii vivi aliquando flammis subjiciuntur l. 2. Cod. cod. non-nunquam modo major, modo minor, pro admissi qualitate, delinquentibus infligitur poena l. 27. §. 2. ff. b. t. Olim apud Athenienses deportationis poena erat: qua mulctatus dicitur Diog. Cynicus, qui cum Patre argentario monetam adulteraverat Diog. Laert. in illius vita. Apud Orientales & Ægyptios adulteris monetæ manus amputabantur. Tholos. synt. j. n. lib. 36. cap. 2. Perez. pral. in Cod. ad tit. de fals. mon. Ant. Matth. de crim. ad b. t. cap. 4. & 5. Cujac. in Jul. Paul. recept. sent. interpr. lib. 5. ad b. t. Ægid. Boff. ad tit. de fals. mon. De moribus Benev. Lect. consulat Ant. Matth. d. l. cap. ult. n. 7. & seqq. Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. cas. 116. Capzov. prax. crim. p. 1. q. 42. & 43. & alios praticos Doctores.

X V I.

De crimine falsi dupli via agi potest, & civiliter ab eo solo, vel ejus procuratore cuius interest falsum non fieri, & criminaliter ad vindictam publicam a quolibet l. 16. Cod. b. t. Electa tamen via civili, debet superfederi criminali, sed civili actione per sententiam terminata, criminalis quæstio inchoari potest, & convictus subjici legitimis pœnis l. pen. Cod. b. t. Ant. Matth. de crim. b. t. cap. 3. n. 3. Perez. pral. in Cod. b. t. tit. num. 8. Wissenb. disput. ad l. Corn. de fals. num. 11. Civiliter agitur apud Judicem Pedaneum l. 11. Cod. b. t. Criminaliter vero apud Rectorem Provinciarum l. 10. & 17. Cod. b. t. Cæterum viris tantum, non mulieribus hujus criminis accusatio permissa est l. 19. Cod. cod. Filius contra Matrem de falso criminaliter agere non potest, sed quidem civiliter l. 11. §. 1. ff. de acc. l. 5. Cod. b. t. non obſt. l. 9. ff. de his qui sui vel al. jur. Porro ista accusandi de falso licentia per viginti annos durat, nec ultra extenditur l. 12. Cod. b. t. At de accusatione suppositi partus DD. querunt, an duret ultra viginti annos, an non: Brunnem. ad l. 19. §. 1. ff. & l. 1. & 10. & 12. Cod. b. t. Tholos. s. j. n. l. 36. cap. 3. n. 5. Gloss. ad l. 12. Cod. b. t. & alii putant hanc accusacionem durare ultra viginti annos ex l. 19. §. 1. D. b. t. Perez. vero, in pral. in Cod. b. t. n. 22. Cujao. in observ. lib. 4. cap. 14. Ant. Matth. de crim. ad tit. quib. mod. aut crim. aut accus. exting. cap. 4. num. 3., Gorhoſr. ad l. 12. Cod. b. t. cum aliis hanc accusationem concludi spatio viginti annorum juxta d. l. 12. censem: quod & verum. Est hoc speciale (ut dictum supra Th. 1.) quod accusatio partus suppositi solis Parentibus permittatur, aut iis quo-

rum interest l. 31. §. 1. ff. b. t. ibique Brunnenm. comm. adde Perez. pral. h. t. num. 22. & seqq. ubi quædam alia in hac accusatione singularia recententur.

X V I I.

Sequitur ultimo loco de *criminis Falsi* probatione, in qua indaganda Iudex omnem industriad & diligentiam adhibebit per argumenta, testes, scripturarum collationes, & alia vestigia veritatis, nec accusatori tantum, sed & proferenti instrumentum onus probationum injunget: atque inter utramque personam mediis existens omnem eruendæ veritatis rationem quæret l. 22. Cod. h. t. adhibita si res postulat tortura, ubi ea in usu. l. 1. Cod. de *Fals.* monet. Perez. d. l. in Cod. num. 13. Verbum de transactio addendum: verissimum est de crimine capitali posse transfigi l. 18. Cod. de transact. ratio extat in fin. l. 1. D. de bon. cor. Sed inter Doctores maxima est contentio, an hoc de crimine *Falsi* etiam fieri possit. Affirmant id. Cuiac. lib. 6. observ. cap. II. Tholos. s. j. n. lib. 28. cap. 1. n. 14. Fachin. l. 1. controv. cap. 9. Diod. Tuld. comment. in Cod. ad tit. de transact. num. 5. Perez. in prelect. in Cod. cod. l. n. 17. Ant. Maith. in tract. de crim. ad tit. quib. mod. crim. exting. cap. 7. num. 15. & seqq. Bronchorst. evantrioph. cent. I. affert. 43. J. Voet comp. jur. ad tit. de transact. num. 7. Gloss. & Gorhof. ad l. 18. Cod. de transact. & l. 7. Cod. h. t. Negant vero Wesemb. in parat. D. de transact. num. 5. Treutl. in Disput. vol. 1. disp. 7. tb. 5. lit. F. ibique Bachov. Wiffenb. in disputat. ad tit. de transact. num. 18. Vnum. in tract. de transact. cap. 7. num. 30. & seqq. Negantium sententiae, cum illa sit verior, calculum adjicio. Non obstante Lege. 7. Cod. h. tit. & l. 2. Cod. de his quæ ut indign. Wiffenb. d. n. 18.

A N N E X A.

- I. Adolescentes inviti non accipiunt Curatores.
- II. Antichresis, excedens legitimum usuruarum modum, est licita.
- III. Qui credidit ad refectionem navis non habet tacitam hypothecam.
- IV. Tutor ob dolam fit infamis, non vero ob latam culpam.
- V. Bonæ poss. tam naturales quam industrielles fructus consumptos suos facit.
- VI. Valet Legati definitio in §. 1. Inst. de legat.
- VII. Dantur Antinomia in Corpore Juris.

F I N I S.